

LVNÆ DIE 17 M. AVGVSTI A. 2009

A.d. XVI Kal. Septembres a. MMIX

I 5 I

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P701451


ANTE DECEM CIRCITER MILIA ANNORVM...

Rem narrabo, quæ ante decem circiter milia annorum in America septentrionali accidit. Tunc temporis in vetere continente iam diu florebat et solus supererat novissimus ramus multiplicis Hominidarum stemmatis, « Homo sapiens sapiens », ut se ipsum vocavit. ¶ Quando et quomodo primi « Homines sapientes sapientes » e vetere continente in Americam pervenerint eamque incoluerint, adhuc periti disputant. Fuitne una via, an complures ? Una ab omnibus accipitur, quæ est per « Behringiam » ; altera, a multis accepta, est navigatio a litore Asiæ meridionalis, secundum insulas Kurilas, pæninsulam Kamtchatka et insulas Aleutinas, usque ad litus Alascæ ; exstat etiam tertia, a paucis comprobata, quæ etiam est navigatio, sed ab Europæ litore occidentalib[us] orta. Notandum est Homines sapientes Australiam navibus petivisse iam ante amplius quadraginta milia annorum. ¶ Sola hic nostra interest via Behringiana. Nunc temporis extrema Asia orientalis ab extrema Alasca occidentali separatur fretu a Behring nominato et circiter 90 chiliometra lato, sed intra novissimam magnam ætatem glacialem, in Europa Würmianam vocatam et in America Visconsiniam, quæ fuit inter annos circiter 120.000 et 11.700, ingens crusta glaciei a polis quocumque longissime extendebatur ; eadem in America septentrionali attingebat regionem, ubi nunc sunt maximi lacus. Tunc, propter ingentem aquæ copiam in glaciem transformatam, libra oceanorum descendit usque ad 120 metra infra hodiernam libram, ac sic factum est ut loco hodierni freti Behringiani appareret latus isthmus Asiam Americæ coniungens, quem geologi vocant Behringiam. Sic fieri potuit, ut varia animalium genera ex Asia in Americam transmigrarent et vice versa ; fieri etiam potuit ut homines, ex Asia progressi, pedibus Americanum intrarent eamque invenirent. ¶ Prima vestigia illorum hominum inventa sunt anno 1932 in civitate Novi Mexici, una ex Foederatis Civitatibus Americæ Septentrionalis, in situ « Clovis » vocato. Alii situs eiusdem cultus « Clovis » postea ubique Americæ septentrionalis inventi sunt, plures tamen in parte orientali ; illæ gentes vixerunt inter 13 et 11,7 milia annorum. ¶ Parvi dispersique hominum greges, qui Americam septentrionalem tunc pervagati sunt, præter mammuthorum species Americæ proprias, multa animalium genera sibi ignota invenerunt, quorum non pauca erant enormia. Ibi tunc erant quinque species equorum, nonnullæ species camelorum, varia genera cervorum, alcum boumque, gigantei castores, ursi (*arc-todus*) altioris staturæ, quam hodierni « grizzli », leones Americani, maiores quam hodierni et machærodi (*smilodon fatalis*), magnæ scilicet feles, quibus erant canini

dentes superiores 18 centimetra longi. Aderat etiam singulare genus Megatheriidarum, quorum specimina plus 5 metra alta erant et circiter 5 tonnas pendebant ; hæc vegetaria animalia ingentes unguis habebant, quibus arborum ramos attrahebant stantes ; animalia huius generis, quæ adhuc in orbe terrarum supersunt, sunt parva et communiter vocantur « pigri » propter eximiam tarditatem. ¶ Pleraque horum animalium satis bene nota sunt, quia anno 1969, non longe ab Angelopoli, in lacusculis bitumineis, multorum eorum ossa servata sunt. Magnum museum animalium præ-historicorum instrui potuit in vicino vico Rancho La Brea vocato. ¶ Homines cultus « Clovis » ante 13 milia annorum in America septentrionali apparuerunt post primam celerrimamque climatis calefactionem

(a. 14.700) ad finem ætatis glacialis Visconsinæ factam (+ 10 gradus in Groenlandia). Pertinebant ad ætatem lapideam ; lapides enim silices delicate cædebant ad fabricandos telorum aculeos (quorum exemplum hic iuxta) ; qui, tantum 4 millimetra crassi, canaliculo instructi erant, quo hastili firmius figerentur. Hi venatores non timebant magna animalia aggredi eaque necabant ope baculo missorio (« atlatl » in lingua *nahuatl* indigenarum Mexicanorum), quo vis et celeritas teli maior fit. In civitate Oklahoma invenitus est locus, ubi inter ossa mammuthi

discripti iacebant quattuor aculei. Perpaucæ autem reliquiæ corporum illorum hominum repertæ sunt, fortasse quia vita functi non sepeliebantur ; nam ad hoc faciendum pala necessaria erat, quod instrumentum nondum valebant fabricare. ¶ Ab anno 12.900 redit vehemens frigus (tempus « Younger Dryas » vocatum), sed ab anno 11.700, intra unum tantum annum, fit altera climatis calefactio, qua terminatur ætas glacialis Visconsinia atque incohatur ætas « interglacialis » Holocæna, in qua nos quoque vivimus.¹ ¶ Res mira, statim post annum 11.700, intra breve temporis spatium, 80 centesimæ partes animalium specierum in America septentrionali extinctæ sunt, inter quas eæ



Usus baculi missori (in : R. Claiborne, *Les Premiers Américains*, Time-Life, 1973, p. 41).

magnæ staturæ supra citatæ. Hæc est sexta maxima animalium extincio in Terra reperta, ceteris quinque ad ætates geologicas multo antiquiores pertinentibus. Eodem tempore etiam evanescit cultus « Clovis ».

¶ Quæ fuerit causa tantæ cladis, adhuc inter doctos disputatur. Cur animalia, quæ tribus præcedentibus ætatis glacialis supervivere valuissent, tunc subito perierunt? Cur hi fortissimi venatores cultus « Clovis », qui frigus ab anno 12.900 iterum sæviens sustinere valuerunt, subito disparuerunt tempore alterius calefactionis? ¶ Sunt qui putent illos homines animalia venatione extinxisse; nimis tamen pauci erant ut hoc facere valerent; insuper, eodem tempore, ipsi videntur maximam partem periisse. Sola magna terribilisque circumiectorum mutatio videtur effectus tam letales habuisse; at quæ fuit eius causa? ¶ Anno 1994 Vindobonensis geologus Tollman ad huiusmodi mutationem explicandam novam hypothesis attulit: asteroidis² Americam septentrionalem percussit. Hoc ei in mentem venit propter dinosaurorum extinctionem ante 65 millones annorum magnam partem factam impactione asteroidis, cuius diameter circiter 10 chiliometrorum erat et velocitas 90 milium chiliometrorum horalium; hæc impactio comprobata est inventione crateris 200 chiliometra lati in sinu Mexicano et strati geologici elementis extraterrestribus referti. Tunc non una tantum asteroidis Terram percussit, sed complures, quarum crateres inventi sunt, inter alia in Ucraina et in mari Germanico. Infelicitate ad Tollmanianam hypothesis confirmandam deest crater, sed ille respondet asteroidem crassam glaciei crustam percussisse, ubi nullum impactionis vestigium superesse potest; contra in strato geologico cum Americana extinctione congruente inveniuntur elementa propria huiusmodi impactionis, adamantes scilicet microscopici, minimi globuli magnetici et moleculæ « fullerene » vocatæ.³ ¶ Post hanc impactionem inter alia detrimenta ortæ sunt vehementes procellæ, quarum validissimi venti magnam pulveris copiam vehentes animalium vitam impossibilem fecerunt, ut coniicit Tollman; re vera, nonnullis in locis inventa sunt huius pulveris strata 50 centimetra crassa et ad tempus extinctionis pertinetia. ¶ Asteroidum impactiones in Terram feliciter raro accidunt. Uno tamen sæculo ante, anno 1908, asteroidis lapidea circiter 50 metra lata regionem Tunguska in Siberia percussit, quæ hominibus erat vacua, sed ubi ingens silvestris area eversa est; energia ibi liberata comparari potest cum vi bombæ atomicæ. ¶ Quæ cum ita essent, N.A.S.A. (Nationalis Aeronautica et Spatii Administratio) in America ab anno 1998 cœpit omnia corpora Terræ propinqua (Angl. N.E.O.: *near-earth*

object) uno chilometro ampliora recensere: 763 huiusmodi asteroides et 82 cometas invenit; hic vero numerus quattuor tantum quinquesimæ illorum corporum partes esse putatur. ¶ Minores quoque asteroides timendæ sunt, quare ab anno 2005 corpora etiam usque ad diametrum 140 metrorum exquiruntur; hoc tamen est opus multo magis laboriosum, cuius scopus est earum 90 centesimas partes detegere ante annum 2020. Corpus cælestis dicitur « N.E.O. », si eius orbita minus quam 45 milionibus chiliometrorum distat ab orbita terrestri, sed habetur periculosum, si distat minus quam 2,5 milionibus chiliometrorum. ¶ Etiam si impactionis probabilitas minima est, scitu dignum est asteroidem etiam amplitudinis minoris quam 140 metrorum cladem totius continentis concitare posse, ut ingentem globum igneum vel altissimam maris undam, quæ e Iaponico sermone dicitur « tsunami ». ¶ Ad concludendum, magna pars maioris faunæ in America septentrionali fortasse asteroidis casu extincta est ante circiter 10 milia annorum; hoc tamen tantum fuit initium; hominum opera plures pluresque animalium species decursu ætatis Holocænæ disparere perrexerunt, imprimis maiores; idem fit nostris temporibus, etiam celerius. Quo plures homines Terram incolunt, eo pauciora fiunt animalia... ¶

Gaius LICOPPE

1. Recentissime tantum limites proximarum geologicarum ætatum tam accurate definiri potuerunt, cum subtilissimæ investigationes factæ sunt in glaciei cylindrīs in Groenlandia effossis, qui sunt eiusdem longitudinis ac est crassitudo ipsius crustæ glacialis (inventa die 19 m. Junii a. 2008 publicata in periodico electronico *Science express*, quo selecta symbolæ divulgantur ante chartaceam editionem).

2. Asteroidis, idis f.: ab astronomis vocatur corpus lapideum vel metallinum, quod solem circumit. Diameter huiusmodi corporum potest esse paucorum metrorum usque ad 500 chiliometra; putantur esse reliquiæ systematis solaris nascentis. Earum orbitæ, quæ facilis prædicti possunt quam cometarum, plerumque sitæ sunt inter orbitas Martis et Iovis; nonnullæ tamen, quarum orbita propior est a Terra, nobis magis periculosæ sunt.

3. *fullerene* (Angl.): sunt magnæ moleculæ variæ formæ, quæ solum ex carboni atomis constant.

IN HORTO VERBORVM AMBVLATIVNCVLA


- *proposita a Francisca Deraedt* -

Libri habent sua fata. Hoc Gerardi Ioannis Vossii *Etymologicon linguae Latinæ*, Amstelodami anno 1662 editum apud Ludovicum et Danielem Elzevirios, primum possessorem habuit nomine Herbinot, assiduum lectorem, quantum iudicare possum ex adnotationibus hic illic manu additis, virum linguae Latinæ, Græcæ, Hebraicæ peritum. Eius nomen litura satis acriter notavit secundus possessor, qui præter hanc severam memoriam damnationem nomenque proprium, de La Rivière, nihil aliud inscripsit in libro ; itaque nescimus num eundem umquam aperuerit. Postea, ut videtur, liber ad tertium possessorem pertinuit, cum additum sit sigillum bibliothecæ castelli a sancto Marcello nominati (ad ostium Rhodani, id est prope Massiliam). Atque hodie, mihi dono magnifice datus, idem liber mirum in modum positus est in mensa mea scriptoria.

Gerardus Ioannes Vossius (1577-1649) numeratur inter homines suo tempore maxime eruditos. Doctrinas callebat permultas : philosophiam, historiam, philologiam, grammaticam, theologiam, didacticam, rhetoricae, artem poeticam. Vossius Heidelbergæ natus est in familia calvinistica. Postquam eius parentes Dordracum migraverunt ibique anno 1585 unus post alterum nimis mature obierunt, ipse et soror excepti sunt a vidua cuiusdam pastoris, quæ eis educationem dedit severam et religiosam. Gerardus Lugduni Batavorum litteris et theologiae studuit, quas doctrinas postea ibidem docuit. Habebatur ut theologus magna auctoritatis, imprimis in Anglia et Suetia ; sic Cantuariæ factus est canonicus, quamquam ipse ibi non versabatur. Anno 1632, Vossius Lugduno migravit Amstelodamum, ubi una cum Caspare Barlaeo « Athenæum illustre » inaugurauit, scholam altioribus studiis dicatam, quæ habetur ut principium universitatis Amstelodamensis. Eius fama erat magna, ut colligi potest ex ingenti epistularum commercio, quod habuit cum plurimis studiosis, rectoribus et sacerdotibus.

Defuncta priore uxore, Vossius alteram duxit ; multi ei fuerunt liberi, quorum unus tantum, clarus philologus Isaac Vossius, patri supervixit.

Inter plurima opera a Gerardo Ioanne Vossio conscripta, primum locum obtinere videntur eius *Institutiones oratoriae* (1605), Aristotelis doctrinis nixæ. Clara erat eius *Latina Grammatica* (1626), quæ per tria saecula numerata est inter libros scholares in Batavia maxime tractatos. Magnum etiam fuit eius opus *De theologia gentili* (1641). Ne omnia – tot enim et tanta scriptis mandavit –, proferamus hæc pauca : *De Historicis Græcis Libri III* (1624), *De Historicis Latinis Libri III* (1627), *De vitiis sermonis et glossematis Latino-*



barbaris libri IV (1645), *Poeticæ institutiones* (1647), *De imitatione* (1647). *Etymologicon linguae Latinæ* (1662) post auctoris mortem una cum tractatu *De litterarum permutatione* edidit eius filius Isaac.

Id autem, cum hic mihi pateat in mensa scriptoria, quo modo evolvam ? Qua ratione exempla Vossianarum etymologiarum seligam tibi, lector, ostendenda ? Opus est tam dives...

DIVES, quasi *divus*. Varro, lib. iv, de L.L. *Dives a divo, qui ut deus, nihil indigere videtur*. Hanc etymologiam videor mihi confirmare posse isthoc Plauti, Trinummo, Act. II, sc. IV : *Dei divites sunt, deos decet opulentia*. Hæc sane etymologia magis placet quam Cornelii Frontonis, cuius hæc verba : *Locuples a copia locorum ; dives, quia dividendi facultatem habet ; opulentus ab opibus*, etc.

... tam dives, inquam, ut silva videatur, doctissima silva vocabulorum. Ad res explicandas et comparandas afferuntur Græca, Hebraica, Arabica, Punica, Chædæa, Persica, quin etiam Belgica, quæ tunc dicebantur. Vera silva. Quin ergo in ea paulisper ambulamus ? Hodie cælum nobis arridet, splendet vernum tempus, occasio

est capienda. Eamus ergo foras, ambulemus in horto, spectemus circum circa, sinamus cogitationes nostras, sicut apes de flore ad florem, ita de voce ad vocem passim volitare, simulque lexicon hic illic inspiciamus.

Ruri cum vivam, in prato non desunt res obser-vandæ. Et ecce statim : inter herbas iam altas sollempni-ter procedit phasianus, quem in horto alere soleo – an potius dicendum est : qui cibum a me oblatum accipere dignatur, tam enim superbū est hoc animal.

PHASIANIS nomen dedit *Phasis* Colchidis amnis, ad cuius ostia frequentes convenire a Græcis proditum est. Martialis in Xeniis, lemmate *Phasianus* : *Argiva primum sum transportata carina. / Ante mibi notum nil nisi Phasis erat.*

Finito ientaculo variis granis composito, phasianus una cum duabus sponsis suis – est enim bimaritus – petit vasculum aqua plenum, quod ad avicularum usum apposueram, sed ipse constituit esse suum.

AQUAM Festus dici ait, quasi *a qua iuvamur* : ubi codd. alii *vivamur*, alii *vivamus*. Possis et dicere : *a qua simus*, quia aqua rerum omnium principium est, ut quidem voluit Thales.

Hoc spectaculum phasianorum in horto sine timore bibentium est imago summæ pacis summæque tran-quillitatis.

TRANQUILLUM de mari proprie dicitur, uti *serenum* de cælo : uti in Catholico suo ait Ioannes Genuensis.¹ Qui et *tranquillus* propterea dici ex eo putat, quia *transeas quiete*.

Nullum videtur esse periculum, nullus minari venator. Nullusne? Vide tamen : appropinquat feles, magno silentio dolose repens, barbarus auceps.

BARBARUS, βάρβαρος. Ridicule deducunt a *barba* et *rure*, quod qui rure habitant, barbam hispidam habere soleant. Quam originationem Cassiodoro tribuit Antonius Delrio, comment. ad Medeam Senecæ.² Vellem locum Cassiodori annotasset. Perottum³ quoque a *barba* derivasse scribit Becmanus,⁴ qui et eum hoc nomine castigat. Sed Perottum neutiquam putasse, vel *barbarus* a *barba*, vel *barba* a *barbarus* venire, vel fidem fecerit, quod in ipso operis ingressu ait *barbarus* esse nomen a sono iis tributum, qui dure aspereque loquerentur ; stulteque quosdam hinc *barbam* deducere, quod

eam *barbari* prælongam ferre consueverunt. Quare non dubito quin Perotto hac in re fiat iniuria. (...) Strabo (...) docet nationes alias a Græcis dictas bar-baras, tum quod vernaculaus earum sermo Græcis videretur inconcinnus absonusque (uti et Græcorum sermo gentibus aliis), tum quod Græce loqui volentes difficulter, duriter aspereque Græca sonarent ; uti et Græci linguas exterorum. (...) Docet Leo⁵ Arabibus *barbar* significare *murmuro*, indeque esse quod Africæ pars ab Arabibus dicta sit Barbaria, quod nempe Africanus sermo Arabibus non aliter sonet quam belluarum vox, nec loqui illis, sed inconditum quid murmurare viderentur. Quare et Græci fortean ab Arabibus hanc vocem hauserunt.

Dum hæc lego, pæne facta est magna clades : subito cattus aggressi paratus prosiluit, Phasis aves in proximam arborem ingenti cum clamore avolaverunt, dum earum lacessitor paulo deceptus hæret, fraudatus ludo suo.

FELIS est quæ Græcis αἴλουρος, ac *cattus* dicitur tum Germanis et Anglis, tum Italies, Gallis, Hispanis. Felis videri possit esse a φῆλος, fallax, impostor. Est enim animal callidum et fraudulentum. Quippe, ut Plinius ait, lib. x, cap. LXXXIII, *Feles quidem quo silentio, quam levibus vestigiis obrepunt avibus! Quam occulto speculatu in musculos insiliunt!* *Excrementa sua effossa obruunt terra, intellegentes odorem illum indicem sui esse.* Ubi quod de occulta speculatione ait, confirmat eorum sententiam, qui *cattum* derivant a *cattare*, id est, speculari, attendere. Lexicon Arabicolum : *Musium cattum, quod cattat, id est, videt.* Sed de etymo catti fallitur. Nam *cattare* est corruptum ex *captare*, diciturque de iis, qui observant et *captant* occasionem. Sed neque accedo iis, qui *cattus* putant esse *catus*, quia sit animal catum. Omnino enim vox est, quam Germanis debeat gentes aliæ. Illis enim animal hoc dicitur *cat* et *kes*.

At has doctas calumnias non curat feles. Quæ, sive ut molestam incursionis memoriam deleat, sive potius quia, rei statim oblita, de aliis delectamentis iam cogitat, ad crura mea applicata susurrat vehementer. Non oportet vatem esse, ut divinemus quid velit : hæc enim bestiola nihil curat nisi ludum et ventrem.

LUDO non a *lusu*, sed *lusus* a *ludendo*. *Ludere* vero est a *Lydis*, qui ludos invexere in Etruriam, unde

eos accepere Romani. [s.v. LUDI : Timæus Siculus in commentariis scripsit nomen id esse a *Lydis*, qui ex Asia Tyrrheno duce in Etruriam concessere, ibique *ludos* invexere. Romani enim spectacula edituri, ludiones et histriones ab Etruria vocarunt, spectaculaque ab auctoribus primo *lydos*, post Y in U more suo converso *ludos* dixere].

VENTER, quasi *vitæ altor*, ut quidem censuisse videatur bonus Isidorus, cum lib. XI Orig. cap. I ait : *Dictus venter, quod per totum corpus vitæ alimenta transmittat*. Ioannes Genuensis in Catholico, *venter*, inquit, *quia ventum concipit*.

Et quæ mulier blanditiis valet resistere ? Appetitam gustationem cattus procul dubio mox accipiet. Unde autem fit ut *mulier* catto susurranti numquam resistere valeat ?

MULIER vulgo putatur dicta a *mollitie*, quasi *mollier*. Petrus Blesensis,⁶ serm. I in Adventum Domini : *Ave benedicta inter mulieres : id est, sola robusta inter molles. Mulier enim a mollitie sumitur, quasi mollier.* Quod Isidorus quoque scripsit, lib. II, cap. II. (...) Alii a Græcis arcessunt, idque vel a μέλειν, hoc est, ἀρέσκειν, ut Hesychius interpretatur : *cara quippe viro est*; vel a μῶλος, hoc est, labor, quia laboribus et doloribus onusta sit.

Hoc quidem recte monet lexicographus : nam labores exspectant domi. Relinquamus ergo pratum, solem et bestias, ac domum redeamus. Interea hæc parva ambulatio per hortum vocabulorumque silvam facta animam opportune recreavit ; an dicendum fuit « animum » ?

ANIMA et ANIMUS, ut differant, indicat hic locus Accii Epigone apud Nonium : *Sapimus animo ; fruimur anima ; sine animo anima est debilis.* (...) Quod ad etymon, *anima* est ab *animus*, ut *domina a dominus, regina a rex*. Merito autem illa feminino, hæc masculino genere appellata, quia animus potior est animæ pars, eamque moderatur ac regit...

Quamvis hic nullo modo agatur de Vossianis aliisve etymologiis iudicandis – quod esset petulantiae –, tamen interpretationes, quale modo de anima et animo legimus, nonne redolere videntur Aristotelica decreta ? Nisi mihi, feminæ, sit complexus quidam psychicus. Itaque arbitrio utamur recentiore lexico Alfredi Ernout Antoniique Meillet ;⁷ a quibus eodem

Accii versu citato hæc proponitur enarratio : « Ergo *animus*, principium superius, est masculini generis ; *anima* autem, ei subiecta, est feminini generis ». Eadem explicatio, ut consentaneum est, at magna differentia : ille scripsit « merito », hi nihil huius generis. Et paulo longius addunt *animam* pro *animo* magis magisque adhibitam esse, multasque inveniri locutiones, in quibus *anima* et *animus* vix possint discerni.

His compertis, patet artem etymologicam nonnumquam plura amplecti velle aut voluisse, quam simpli- cem verborum historiam, ac vocabula paucis litteris multas cogitationes aliquando celare. Sic paulatim excitatur curiositas, et dum paginas evolventes magna vocabula quærimus, quæ sunt vita, mors, amor, gau- dium, dolor, nobis pæne videmur auctorem interroga- re, non unde proveniant hæc vocabula, sed quid sint vita, mors, amor, gaudium, dolor.

Nolo autem, bone lector, te fatigare pluribus. Itaque finem faciam hoc uno vocabulo, cuius etymon legens, prout felix es his temporibus an minus felix, tuam invenies explicationem. Vale.

AMO, et AMOR veniunt ab ἄμμα, vinculum ; vel ab ὕμερος, amor. Ubi *i* in *a* abit, ut a θέγω, tango. Nisi magis placet *amo* esse ab ἄμα, simul ; quod amor est appetitus unionis. Vel ab όν *cham*, sive *ham*, id est calefacere ; ut proprie sit, *ardere amore*. Vel ab τόπη, id est, desiderare, concupiscere. Sane, quanto hæc verisimiliora, quam ut, quia amantes sint loquaces, eo tum ἔρως, hoc est, amor, derivemus ab ἔρεω, sive εἴρω, quod est dico... ☐

1. Sub finem tertii decimi saeculi Iohannes Balbus, natione Genuensis, grammaticam conscripsit *Catholicon* inscriptam, cuius quinta pars est copiosum lexicon ordine alphabeticō propositum. Quod lexicon in historia lexicographiæ Latinæ magnum pondus habuit.

2. Martinus Antonius Delrio, S.J., 1551-1608.

3. Niccolo Perotti, 1429-1480, auctor i.a. librorum q.t. *Rudimenta grammatices* et *Cornucopia*.

4. Christianus Becmanus Bornensis, *Manuductio ad Latinam linguam nec non de Originibus Latinæ linguae*, 1619.

5. Leo Africanus, vero nomine Al-Hassan ibn Mohammed al-Wazzan (Illiberi, ca. 1485 - Tunete, post 1554), auctor operis c.t. *Africa descriptio*.

6. Pierre de Blois (c. 1135 - c. 1205) fuit præceptor regis Siciliæ Villelmi II et amanuensis Anglie regis Henrici II.

7. A. Ernout, A. Meillet, *Dictionnaire étymologique de la langue latine. Histoire des mots*, Lutetiae Parisiorum, Klincksieck, 1967⁴, s.v.

QVÆDAM DE ALBERTI VON HALLER (1708-1777)

VITA ET SCRIPTIS

- *scripsit Victorius Ciarrocchi* -

Facile intellegitur cur præterito anno 2008 in Helvetia sit merito Albertus von Haller commemoratus, qui die 16 Oct. a. 1708 Bernæ natus erat et hac in urbe, quam adamavit, die 12 Dec. 1777 mortuus est. Vir enim is fuit iam ab adolescentulo, quin etiam a puero, adeo amore novas veteresque doctrinas noscendi incensus atque acri præditus ingenio, ut coæquales dicerent nullum alicuius momenti librum esse, quod Albertus haud legerit.

Undecimum annum nondum attigerat, cum carmina Latina panxit et grammaticam linguæ Chaldaicæ composit. Ceterum varias linguas callebat et sine ullo negotio Latine loquebatur et scribebat. Anno 1724 Tubingam se contulit, ut in illius urbis universitate operam rebus medicis daret, quarum studium anno 1727 Lugduni Batavorum perfecit, quia hac in urbe tunc medicinam docebat Hermannus Boerhaave, vir summis illius ætatis medicis adnumerandus, quem discipulus Bernensis veluti magistrum semper magni fecit. Nam eandem viam rationemque, qua sicut empiricorum doctrinæ sectator Boerhaave non sine fructu erat usus, Hallerus quoque secutus est, ut adserit Loris Premuda in libro, qui *Historia physiologiæ* inscribitur (ed. Del Bianco, Udine, 1966, p. 146).

Postquam iter in Britanniam suscepérat, Lutetiam Parisiorum se contulit Albertus ibique per aliquot menses inhabitavit. Basileæ auditor fuit Ioannis Bernoulli, eximii mathematici. Ex anno 1736 in universitate Gottingensi anatomiam, medicinam, chirurgiam docere cœpit et usque ad annum 1753 ea in urbe commoratus est.

Nihil autem ei tam gratum erat quam vitam in Helvetia atque in urbe patria degere. Ad Alpium pulchritudines describendas carmen Theodisce composuit cui titulus *De Alpibus*, quod tamen, adæque alia poëmatia sua, ipse tantum « veras nugas » esse putabat.

Alia enim eum alliciebant, plerumque res medicæ, quibus in enucleandis multa opera conscripsit, quorum longus est index, quia Albertus, exceptis postremis ætatis suæ annis, quos ad res Bernenses administrandas dicavit, legendi studio et sciendi adeo flagrabat, ut vel si equitaret deambularetque, librum quemlibet præ manu semper haberet. Indole generosus, non tamen adeo, ut silentio præteriret iniustas castigationes, quibus viri vel docti in eius operibus recensendis præpostere indulsissent. Cuius quidem rei indicium sunt verba hæc : « Non ideo dolebam, quod gravissimum et peritissimum et acerrime animosum adversarium essem nactus, qui etiam minutissimos errores aptus esset detegere [...] Cum præterea tot ab annis in magistratum Patriæ translatus duabus nunc præfecturis defungar, a

cadaverum humanorum usu longe semotus rebusque civilibus et gubernandæ meæ Provinciæ horas debeam. Non, inquam, ideo animus meus ab ea lite abhorret [...] Magna res est veritas et prævalebit. Si omnino erravi, magno me beneficio vir Ill. adficiet, quando vastum meum opus erroribus liberabit, qui absque eius censura id ipsum dehonestarent. Ideo id opus suscepi, ut, quæ vera fide sub medium sæculum XVIII innotuerint, ea in compendium contracta posteri legere possint [...], quæ is ad quasdam Albini sive Bernardi Segefridi Weiss interpretationes refellendas conscripsit.

Irasci autem facilis erat ideoque civibus Bernensibus haud semper vir amabilis est habitus. Præterea sunt qui putent multiplicem Halleri doctrinam interpretandam esse veluti « refugium », quod ipse vel inscius petiverit « adversus vivendi difficultates », sicut adserit Georgius Tonelli in libro *De Alberti von Haller visione poetica et philosophica* (Augustæ Taurinorum, domus editoria : ‘Libri ad philosophiam pertinentes’, 1965, p. 163). Et quamquam Hallerus se diligentem religionis christianæ sectatorem profitebatur, tamen animi suspensus interdum videtur fuisse, utpote qui de fide et veri inquisitione inter sese conciliandis addubitaverit (Tonelli, p. 164 operis supra laudati).

Omnes fere viri docti non immerito putant varias inter doctrinas medicas et physiologicas, quarum in studium is incubuerit, eam graviorem esse, quæ « sensibilitas » vocatur. Hac enim doctrina Hallerus magnum pondus ac momentum nervis adtribuit (sicut scribit Adalbertus Pazzini in opere, quod est *De artis medicæ historia*, Minerva medica, Romæ, a. 1974, vol. 2, pp. 1120-1121), quia nervorum fibris ea est proprietas « irritabilitas » vocitata, ut ipsæ ad stimulus quosdam respondere possint. Sunt præterea in corpore humano aliæ « irritabilitatis » formæ, quas Helvetius vir « perceptionem sensitivam externam » appellat.

In explicandis autem nexibus, qui varias corporis partes inter sese coniungunt, Hallerus rationibus, quas propugnabant Cartesiani et materialistæ, qui dicuntur, numquam accessit. Hac ipsa de causa is vehementer improbavit Iulianum La Mettrie, philosophum Francogallum, qui, cum præsertim in libro c.t. *De homine veluti simplici machina* omnia tantum ad materiam rettulisset, hanc doctrinam in Halleri ipsius operibus contineri adfirmavit. Quod omnino esse falsum videtur, quia alia fuit vera Alberti doctrina et visio humanæ vitæ.

Valetudinem improsperam, qua ipse a puero conflictatus erat, graviorem reddidere quædam calamitates : is enim, cui tres liberi præmortui erant, bis viduus mansit. Quare mirum non est Albertum etiam

morbo, qui « animi dimissio seu depressio » hac ætate dici solet, haud dubie adfectum esse. Ad senectutem cum pervenisset, corpore tam obeso factus est, ut lenitos quoque motus ægre ferret. Cum permultis illius temporis viris doctis per epistularum commercium coniunctus est, ex. gr. cum Carolo Linnæo, rerum botanicarum principi ; sed plantarum flororumque descriptionem ab hoc viro exaratam Albertus haud in toto probavit.



www.abneninfo.com

His paucis de Alberti von Haller vita relatis, brevis adiciendus est index operum potiorum, quæ Latine is compositi, quorumque pondus nonnulli loci ex ipsis operibus deprompti fortasse melius illustrabunt.

1) *Iter Helvicum*, quod opusculum cum aliis eiusdem generis opere continetur inscripto ita : « Opuscula sua botanica prius edita recensuit, retractavit, auxit, coniuncta edidit Albertus Hallerus ».

2) *Primæ lineæ physiologiæ in usum prælectionum academicarum*. Quoniam omnibus fere medicis tunc mos erat investigare quid animam inter et corpus intercedat, fortasse iuvat nonnullas hac de re intricatissima legere Alberti sententias, e quibus pateat quæ fuerit eius philosophia. Is igitur in capite XVII (§§DLXIV-DLXIX) operis supra memorati scripsit : « Causæ, a quibus animæ nostræ felicitas vel augetur vel minuitur, aliæ a corpore profectæ sunt, mere mechanicæ. Inter eas dolor est, sensus tristis, cui omnis nimis fortis sensatio in nervo pro fundamento esse videtur [...] Aliæ ideæ, quæ animam adficiunt, aut penitus a materiæ proprietatibus liberæ sunt, aut certe minus quam priores simplices, notæ, aut mechanicæ. Boni præsentia lætitiam facit, boni cupido amorem, boni exspectatio

spem ; mali præsentia tristitiam vel terrorem, desperationem ; mali fuga odium, mali exspectatio metum. Spes, curiositas, gloria videntur humanæ animæ esse adfectiones, quæ neque ad corpus pertineant, neque in bestiis reperiantur [...] Sed magna illa sympathia explicanda superest, quæ inter corpus et animam intercedit. Nam aliam naturam animæ esse a corpore, infinita demonstrant, maxime ideæ et adfectiones animæ, quibus nihil in sensu respondet [...] Et tamen hæc anima, adeo diversa a corpore, arctissimis cum eo ipso conditionibus religatur, quæ et cogitare cogatur ad eas species, quas corpus ipsi repræsentet ; et absque cerebri corporeis speciebus non videatur aut meminisse posse aut iudicare ». Editio autem huius operis, quod multos per annos veluti textus physiologiæ nonnullis in universitatibus adhibitum est, quam anno 1780 edendam curavit Henricus Augustus Wrisberg suis ampliatam animadversionibus, 526 paginas continet. Cuius editionis in præfatione Wrisberg scribit et hæc : « (Albertus von Haller) inter varios suos amicos, nam ingratis semper magna sprevit indignatione, te [i.e. Georgius Thomas de Asch, medicus anatomicæ peritissimus] semper primarium locum occupasse ex multis constat Halleri scriptorum testimonii ».

3) *Opuscula pathologica* (Lausonii, a. MDCCCLV).

4) *Elementa physiologiæ corporis humani* ; quod opus, octo in volumina dispertitum, inter annos 1756-1766 editum est atque a viris doctis absolutissimum dijudicatur. Ex præfatione, quæ in quarto huius operis volumine legitur, excerpta sunt Alberti verba in Bernardum S. Weiss supra relata.

5) *Bibliotheca botanica* (2 voll.).

6) *Bibliotheca anatomica* et *Bibliotheca chirurgica* (4 voll.). Huic tamen operi, quo recensentur quinquaginta milia opusculorum (plerumque Latine videlicet conscriptorum) « ad anatomiam, botanicam, chirurgiam, medicinam pertinentium » – ut refert Douglas Guthrie in libro c.t. *Historia medicinæ* et ex lingua Anglica in Italicam translato (apud Feltrinelli, Mediolani, a. 1967, p. 376) – extremam imponere manum nequivit Albertus von Haller.

Qui præterea permulta opuscula composita ad res varias pertinentia et quam diligenter herbarium quoque disciplinam coluerit, apparet ex verbis hisce : « Allium, cepa et porrum antiquitus in unam classem relata fuerunt. Ea genera a reliquis liliaceis, quibus æqualia et plerumque expansa petala et fructus in medio flore sunt, omni tempore facilis nota separata sunt, floribus numerosis ex uno puncto congestis, et communis vagina foliacea exceptis, quam spathæ nomine recte revocat Linnæus » (ex opusculo, quod *De allii genere naturali*

libellus inscribitur (a. MDCCXLV, § II)).

Quare abs re non erit mentionem facere etiam opusculi, quod *Commentatio de opii in corpus humanum efficacia* inscribitur ; hac enim commentatione Hallerus narrat cur et quomodo ipse hoc medicamento usus sit ad mingendi difficultates saltem leniendas. Et quoniam tali molestia plerique senes adficiuntur, is humaniter scribit hæc : « Mihi ingrata procul dubio malorum meorum est recordatio ; vincit autem mærorem utilitas publica ». Sed accuratores hoc de morbo viris incommodo investigationes demonstrant Albertum verisimiliter aut cancro aut urethralis glandulæ inflammatio-ne affectum fuisse.

Adnotationibus historicis abundat opusculum *Commentatio de hermaproditis, et an dentur ?* inscriptum, in quo non desunt quædam observationes, quæ risum forsitan moveant, sicut hæc : « Verum etiam ante hos 13 annos vir ab uxore rustica ob impotentiam accu-

satus me convenit et ipse eiusdem generis, de quo, cum nihil nunc in adversariis reperiam, unice memini et ipsum in perinæo hiatum habuisse, qui speciem aliquam femininæ vulvæ exprimeret. Deierabat ipse se Venere utique defungi, et si libidini uxoris, quæ de Messalinae familia esset, non posset satisfacere ». Tanta igitur doctrina eminuit Albertus von Haller ut, etiamsi quosdam in errores inciderit (quod humanissimum est), paucissimos tamen viros, qui sæculo XVIII physiologiam coluerunt, pares eo tempore habuerit, neminem fortasse superiorem.

Inter multos medicos et viros doctos, qui Halleri vestigia persecuti sunt, memoratu dignus est Leopoldus Caldani, medicus Bononiensis, cuius præsertim opus *Institutiones physiologicæ* inscriptum et pluries editum doctrinam illius viri Helvetii identidem redolere videtur. ■■

DE OETSIOSIVE SIGFRIDO

- *scripsit Alanus Van Dievoet* -

Ante plures annos ambulatores invenerunt, ut nunc est omnibus notum, in monte Oetsio Alpium cadaver congelatum hominis iam ante sex milia annorum mortui. Ei nomen Oetsii dederunt quo nomine nunc ubique terrarum est famosus.

Temporibus nostris, magis magisque scientifici cadaver eius inspiciunt et observant atque de causis eius mortis indagant.

Sic invenerunt recens in eius dorso infixum aculeum sagittæ e silice factum potueruntque invenire, propter inclinationem qua sagitta intravit in corpus, circumstantias eius necis.

Ita perspicue appetat necatorem dolose in eius dorsum sagittam misisse cum ad solum se inclinabat.

Mirum in modum in ecclesiola vici Lacciæ siti in inferiore valle servatur « menhir » sive lapis erectus præhistoricus eiusdem temporis quo vivebat Oetsius in quo scalpitur imago hominis a tergo a sagittario necatus ! Eratne tunc temporis mors Oetsii tam celebris ut delineata esset in monumento lapideo atque ut a bardis

et vatibus celebrata esset ?

Oetsius enim, ut appareat e pretiosissima securi e cupro rarissimo facta, dux magni momenti, illustris et nobilis fuisse videtur.

Et hic aliquid est memorandum.

Ratio enim qua necatus est Oetsius eadem est qua inclitus ille heros Sigfridus interfactus est. Ille enim secundum carmina Nibelungorum cum inclinabat corpus ad aquam hauriendam dolose necatus est a mucrone perfidi Hageni in dorsum misso.

Fabula de morte Oetsii, iam delineata in lapide, semper semperque cantata et celebrata a bardis usque ad tempora mediævalia non in oblivionem videtur incidisse. Hoc non est mirum neque impossibile cum sciamus adhuc cantores populares in Croatia et in Albania narrationes temporum Homericorum e memoria tenere et recitare.

Scimusne nunc verum nomen Oetsii ? Eratne Sigfridus ? ■■

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (IV)

SEDITIONES RELIGIOSÆ QVINTI SÆCVLI

- scripsit Gaius Licoppe -

Primum Ephesi concilium (a. 431) pacem religiosam non attulit. Eutyches enim, cuius Dioscorus, Alexandriæ patriarcha, fautor est, monophysismum propagare pergit. Nihil concedere vult Flaviano, Constantinopolis patriarchæ, qui eum anno 448 excommunicat. Eutyches tamen spem non deponit ; advocat imperatorem Theodosium II, qui ei favet, et papam Leonem I.

Quæ cum ita sint, Dioscorus petit ut concilium convocetur, id quod fit Ephesi anno 449. Papa Leo I epistula ad Flavianum missa tunc dicit se Eutychi obstat. Nihilominus Dioscorus concilio præsidet, favente Theodosio II. Patriarcha Flavianus vexatur et destituitur ; Eutychis excommunicatio tollitur atque papæ legati impediuntur ne epistulam Leonis I palam legant. Iratus, Leo I in epistula ad Pulcheriam, Theodosii II sororem, missa alterum concilium Ephesum vocat « latrocinium Ephesum ». Magnæ ergo dissensiones persistunt in ecclesia.

Tunc accidit aliquid inexpectatum : Theodosius II, inter venationem de equo deiectus, necopinanter moritur anno 450. Filium non habet, sed tantum filiam, Eudoxiam nomine, quam Occidentis imperator Valentinianus III uxorem duxit. Magister militum est Ardabur Aspar, origine barbarus, ut tunc solet, Alanus scilicet ; notandum est Alanos ad Iranianam Indo-Europæorum stirpem pertinere ; hodierni Osseti, qui in Caucaso vivunt, sunt eorum posteri.

Quamquam Aspar omnem potentiam militarem habet, ei non licet imperatori fieri, cum non solum origine barbarus sit, sed etiam arianus. Una cum Pulcheria, potenti Theodosii II sorore, suum adiutorem Marcianum, e Thracia oriundum, facit imperatorem (450-457). Marcianus insuper cum Pulcheria matrimonio coniungitur, politico quidem ; condicio enim est ut uxor virginitatem servet. Marcianus filiam habet e præcedenti matrimonio, quam uxorem dicit Anthemius, futurus Imperii Occidentalis imperator (467-472).

Hunni, quibus Theodosius II, ne oppugnaretur, tributum solvebat, in unum regnum interea coaluerunt, cuius anno 445 rex factus est Attila. Novus autem imperator Marcianus modum Hunnos tractandi statim mutat : Attilæ tributum diutius solvere negat. Is, cum sciat se inhabilem esse ad expugnandam Constantinopolin, exercitum ad Occidentem ducit. In Gallia vero anno 451 ab Ætio¹ vincitur in Campis Catalaunicis (an potius in Campo Mauriaco ?). Ad Italiam se tunc convertit, Romam petiturus, sed in itinere consilium mutare debet, cum Marcianus copias miserit in eius tergum. Hoc certe maioris ponderis fuit in Attilæ



Columna Marciani, Constantinopoli (photographema factum a Gaio Licoppe, a. 2008).

regressu, quam legatio papæ Leonis I, quem extollit hagiographia christiana. Anno 453 Attila inter epulas tertii matrimonii inopinato moritur eiusque imperium dissolvitur.

Ut supra demonstratum est, difficultates religiosæ nondum sunt finitæ ; monophysismus enim floret, quo Christi natura humana absorbetur divina, ut guttula mellis in mari ; est extremus terminus cogitationum scholæ theologicæ Alexandrinæ. Eodem modo nestorianismus, quo negatur Christi unitas et asseveratur Mariam solam humanam Christi personam peperisse, est extremus terminus cogitationum scholæ Antiochensis. Quare papa Leo I, cum sciat Marcianum orthodoxiæ favere, ab eo petit ut concilium convocet in Italiam. Marcianus assentitur, sed concilium anno 451 potius convocat Chalcedonem.

Trecenti quinquaginta episopi convenient, inter quos quinque tantum occidentales. Concilio præsident papæ legati aut commissarii imperiales aut ipse Marcianus. Condemnatur monophysismus ; condemnantur et Eutyches, pertinax monophysismi fautor, et Nestorius. Adoptatur formula papæ, quæ symbolum Nicææ et Constantinopolis complet et christianismi doctrina fit ; in ea adhuc nituntur orthodoxi, catholici Romani et protestantes.

Hæc sunt verba Symboli Chalcedonensis : « Sequentes igitur sanctos patres, unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Iesum

Christum consonanter omnes docemus, eundem perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate ; Deum verum et hominem verum eundem ex anima rationali et corpore ; consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem ; ‘per omnia nobis similem, absque peccato’ (*Heb. 4:15*) ; ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem ; in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine, Dei genitrice secundum humanitatem ; unum eundemque Christum, filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum ; nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente ; non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et unigenitum, Deum verbum, Dominum Iesum Christum ; sicut ante prophetæ de eo et ipse nos Jesus Christus eruditivit et patrum nobis symbolum tradidit. »

Alia de causa quoque hoc concilium est magni momenti. Tunc enim primum papa Romanus primas partes agit in magno concilio oecumenico. Orientales tamen efficiunt, ut in vicesimo octavo canone concilii decreti affirmetur æqualitas sedis Romanæ et Constantinopolitanae ; autumant enim sedem Romanam primatum habuisse, propterea quod Roma tunc erat caput imperii ; postea Constantinopolin, Novam Romam, factam esse caput et primatum quoque mereri. Papa Leo I, qui affirms præminentiam suam non politica, sed apostolica ratione niti, huic canoni frustra reluctatur ; inde fit ut episcopi orientales a solo patriarcha Constantinopolitano pendeant.

Infeliciter concilium Chalcedonense Ecclesiæ non afferit unitatem. Dioscoro enim remoto, deprimitur patriarchatus Alexandrinus, qui fidem monophysitam servat magis propter sui amorem quam ratione theologica ; fides monophysitica Ecclesiæ Copticæ et Æthiopicæ necnon Syriæ Iacobitis et postea Ecclesiæ Armeniacæ etiam est prætextus ad manifestandam ethnicam singularitatem ; hæ dicuntur ecclesiæ « Trium Conciliorum », quia solum tria prima concilia oecumenica agnoscent. Postea imperatores Orientales ad unitatem adipiscendam compromissum theologicum bis proponent, sed frustra.

Marcianus brevi regno suo solum bellum gerit contra Arabum tribus, quæ in Syriam invadunt. Relinquit ærarium magna summa residua præditum. Post aliquam piam peregrinationem perit gangræna a pedibus orta (a. 457).

Ardabur Aspar, ille Alanus patricius in aula

Constantinopolitana adhuc potentissimus, Marciani successorem ipse eligit, unum e propriis legatis, iterum Thracem, Leonem I (457-474). Is tamen primus non ab exercitu, sed a senatu imperator proclamatur, assente patriarcha ; hæc in futurum erit regula coronationis imperatoriæ. Aspar, cum ipse imperator fieri non possit sed throno proximus manere velit, efficit ut proprius filius Patricius Leontiam, unam ex Leonis I filiabus, uxorem ducat. Romani vero magis magisque moleste ferunt Germanicam tutelam.

Eo tempore augetur fama alicuius Isaurorum militum ducis, Tarasicodissa nomine ; nam non solum ipse belli peritissimum se ostendit, sed Isauri, qui partem meridionalem orientalemque Asiae Minoris incolunt, iam complura sæcula sunt fideles imperii cives ; eorum lingua pertinet ad Iranianam Indo-Europæorum stirpem, quare a Græcis habentur barbari. Ille Isaurorum dux anno 466 fit magister militum in Thracia, unde Hunnos repellit. Anno 468, non participat ingentem expeditionem navalem, qua ad Vandals ex Africa expellendos coniunguntur vires imperii Orientalis et Occidentalis.

Basiliscus, imperatricis Verinæ frater, expeditioni præest. Amplius mille naves exercitum centum milium militum ad promontorium Mercurii (*Cap Bon*) feliciter exponunt, sed Vandalorum classis Romanorum classem insidiouse aggreditur magnamque partem delet ; incohaeta Romanorum Victoria fit magna clades ; imperium iam neque pecuniam neque validum exercitum habet.

Fama autem Tarasicodissæ manet integra ; itaque eodem anno uxorem dicit Ariadnam, primam Leonis I et imperatricis Verinæ filiam ; tunc quoque nomen, quod nimis barbarice sonat, in Zenonem mutat.

Hæ res gestæ suspicionem afferunt Aspari, qui insidiis conatur Zenonem de medio tollere, incassum tamen. Contra paulo post ipse Aspar trucidatur in plebis tumultu adversus arianos, quem Zeno ipse videtur excitavisse, sinente Leone I. Anno 473 in Asparis loco Zeno fit magister militiae.

Anno post Leo I vita fungitur morte naturali ; eius filius Leo II ei succedit una cum Zenone ; filius enim septem tantum annos natus eget procuratore. Leo II autem eodem anno moritur ; sic incohatur magnum Zenonis regnum. ■

1. De bello cum Hunnorum rege vide symbolam « De Latinitate Orientali (iii) », Melissa 128, p. 12.

PERIPEDEMI PERIEGESIS

PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (V)

– *scripsit Bradlius Walton –*

VI. CUM CHRISTICOLIS HYPARCHIENSIBUS

Cum non existimarem, nudum eligendi actum semper bonum esse, sed bonum eligere solum esse bonum, nec recusare eligere semper esse malum, sed recusare malum eligere esse bonum ; et cum non existimarem, subiective constituere dignitatem cuiuslibet rei parvulæ non superare ingentem orbis obiectivi inanitatem, nec præsertim exitiale mortis absurditatem ; et cum finis moralium plerumque esset societatem regere humanam, mihi videbatur stultum, quemque sua constituere pretia moralia ; et cum non existimarem philosophiam Hyparchiensem superavisse inanitatem Udenensem, constitui adloqui eos Hyparchienses, qui ecclesiam frequentabant, ut cognoscerem, quid crederent, et cur facerent quæ faciebant.

Quodam die pensis in perfugio solutis, accedi collegam, Pœmena nomine, hilarem et impigrum pauperum adiutorem, qui videbatur Christicolarum dux et consiliarius. Dixi, me mirantem advertisse, tot Hyparchienses suspensis monilia crucibus gerere et ecclesias frequentare. Quæsii an crederet deum esse. « Sane » inquit. Rogavi, an vellet quædam suæ doctrinæ singula mecum communicare. « Libentissime, » inquit. « Credimus deum infinitam esse personam, aut adeo tres personas, transcendentem, imminentem, omniscientem, summam, bonam. Effecisse ex nihilo mundum tamquam compositionem causarum et effectuum, sed patentem ipsi intercedenti. Nos ad imaginem et similitudinem dei creatos posse aliquid de deo et mundo scire, significanter agere, commercium cum deo habere ; bonos quidem creatos, sed lapsos, a Christo in dei societatem redimendos esse. Mortem ianuam esse, qua ingrediamur æternam Dei aut societatem, aut alienationem. Præcepta moralia moribus dei fundata mundum creatum transcendere. »

Pœmena obstupefactus audivi referentem præcepta mihi puero tradita, quibusque iterum auditis firmatus sum, etiamsi tantum fortasse nudo rerum notissimum solatio. Pœmen, ut me subridentem advertit, rogavit, an doctrinæ adumbratæ placerent. « Fortasse, » inquam, « familiaritas doctrinarum placet. Cum philosophiam Sartoris reputo, miror ullum Hyparchiensem civem sibi persuasisse, præcepta de deo tua esse vera. » « Non solus Sartor, » inquit, « hominibus salutem attulit. Ex eius enim præmissis licet conclusionem facere omnino aliam atque ipse fecit. Profecto ex decretis Sartoris viam ad deum reperimus. » Tum me mirantem rogavit, unde ortus sim. Cum respondissem, Theistiam patriam esse, me intuitus et miserans et oblectatus, « terram dicis » inquit, « orthodoxæ emortuæ. Noli

tamen sollicitari. Hic enim invenies fidem et vivam et validam. »

Quæ multa per æva excusa fides, plurima quæ per sæcula mansit, iam falsa patet. Nam comperimus prius ignotam cunctis sophiam. Sed non proprio desipuerunt proavi vitio. Quid enim potuit noscere mundi cana vetustas ? Quot nostra ætas didicit, docuit ! Quotque errantia corrigit æva ! Ne me reputes temnere priscos. Novere sibi rigidi patres, novere viros aliquid, aliquid novere deum, quamvis veteres ætate rudi lumine cassi.

« At quomodo » inquam, « doctrinæ tuæ a doctrinis Theisticis differunt ? Eæ mihi videntur unum esse. » « Veni ergo, » inquit, « hoc vespere ad ecclesiam nostram. Narra historiam tuam. Ostendemus viam ad deum verum vivumque. »

Ritus, quibus interfui, non nimium distabant Theistiensibus. Habiti enim sunt hymni, psalmi, lectiones, contio, eucharistia. Easdem quidem concionator doctrinas perstrinxit, quas Theistæ audiveram, sed more tam insolito, ut nota ignotis mixta mirationem mihi excitarent. Cærimoniiis solutis, convenimus cafœam sumpturi in sessorio commodo. Cupediis appositis, ego spiritualem ingressus periegesin ea miserantibus narravi adversa, quapropter Theistiam reliqueram, et quomodo novam quærens patriam, aut adeo philosophiam, in omnibus, quas visi, civitatibus spe falsus sim. Postremo « cum coepisset existimare, » inquam, « Theistensem non pessimam esse philosophiam, certe non peiores aliis inventis doctrinis, libenter vos adii, qui deum esse creditis. » Annuentes mihi subriserunt. « Profecto, » inquam, nitens eas exprimere, quas nuper excolebam sententias, « incipiebam desiderare non tantum eam tam fidam dei cognitionem, quam pariunt et sacræ scripturæ et naturæ testimonia, sed etiam eam tam certam mundi scientiam, quæ probatur præsumptione, deum nos instruisse sensibus creationis percipiendæ capacibus. » Christicolarum pars animi dubia, pars tamquam facetiis oblectata, pars contemnens, me intuebantur. Tum Pœmen, « tibi promitto, Peripede, » inquit, « hic non inventum iri, qui ista habeat vera. Credimus enim nullum esse solidum cognitionis vel divinæ vel naturalis fundamentum. » « Itane est ? » rogavi. « Nullumne est fundamentum etiam in deo an-

in sacris litteris an in rationali naturæ compositione ? » « Siste, Peripedeme ! » inquit Poemen. « Cum deum cogitamus, neque a deo neque a sacris litteris neque a mundo, sed a nobismet ipsis nostrisque cogitationibus, sensibus, affectibus incipimus. Nihil enim certo novisse possumus, nisi nos esse, cogitare, eligere. Utrum deus, an quicquam aliud sit extra nos, indicia omnino ambigua sunt. Immo, testimonia existentiæ divinæ satis debilia. » « Ergo, » inquam, « quomodo evenit, ut credas, deum esse teque tuam oportere vitam deo addicere ? » « Hæc credimus, » inquit, « non ratione, sed fide. » « Non intellego, » inquam, « repugnantiam quam facis inter rationem fidemque. Agnosco quidem, nos deo devovendos esse fide. Nonne tamen nosmet ipsos ita devovere rationi convenit ? Nonne sunt iustæ causa credendi, esse numen, Christum divinum fuisse, deum bonum esse et locupletem ? » « Mitte rationem, » inquit Poemen. « Nonne Physicam incoluisti ? Nonne ea, quæ philosophiæ Physiciensi subsunt, perspexisti ? » « Ita credo. » « Scis igitur, » inquit, « rationem ferre nec scientiam nec significationem nec fines nec rerum pretia. Non igitur ratione, sed fide credimus, esse deum, et nos pietati consecrandos. » « Non intellego » inquam, « quid dicere vis, cum fidem dicis. » « Significo » inquit, « quandam effrenatum, ne dicam amentem, mentis affectuumque saltum trans hiatum rationis in orbem cogitabilem, quem ipsi nobismet ipsis eligimus. Hic saltus respondet votis desideriisque nostris, sed rationi alienus est. » « Ergone id creditis quod credere vultis et propterea quod credere vultis ? » « Etiam. »

« Fidem, » inquam, « Theistienses intelleximus esse dei fiduciam, seu dei promissa servaturi certitudinem. Ergo fides rationi consentanea est, propterea quod deus, si existit, fidissimus et locupletissimus est. » « Si existit, » inquit Poemen, conditionem premens. « Sed quod credimus, » inquam, « deum existere, id etiam rationi consentaneum putamus. Nam rerum naturæ initium ordoque multiplex, existentia priorum moralium obiectivorum, testimonia Christi resurrecti, noster divinitatis sensus fidem dei existentis non quidem certo certiorem, sed non omnino saltem absurdam reddunt. » Poemen risit et « Theistienses » inquit, « rationi suæ tantopere confidunt ! Omnes Hyparchienses e Physicia profugi sumus. Scito, o Peripedeme, deum rebus naturalibus tam seiunctum esse, tantopere nobis distare, ut captum rationis mentisque humanæ omnino supereret. Ergo non potest fieri, ut homines ullam deo veritatem ratione consequantur. Omnia, quæ ex argumentis philosophicis de deo existente concludis, inutilia sunt. »

« Quid » inquam, « de sacris litteris ? Si nihil de deo possumus ratione cognoscere, nonne scriptura omnia de deo necessaria docet ? » « Facisne iocum ? » inquit Poemen exerto cachinno tam irrisorio, ut paulum irrasceret. « Litteræ sacræ nullam quidem præbent fidam de deo neque ullam scientiam obiectivam, sed tantum subiectivas divinitatis notiones gentium anti-

quarum. » « Nonne » inquam, « litteræ sacræ fida de Christi divinitate testimonia reddunt ? » « Non sane. » « Nonne tamen perscribunt prodigia Christi ? » « Somnia ! » inquit Poemen. « Prodigia fieri non possunt. Nihilne Physiciæ didicisti ? » « Sed, » inquam, « putavi, prodigia et signa eo consilio facta esse, ut divinitas Christi demonstraretur. Si prodigia fieri non possunt, quid officii in sacris litteris habent ? » « Symbolæ sunt, » inquit Poemen. « Visne dicere, » inquam, « cæcum videntem, paralyticum ambulantem, Christum resurrectum, Thomam digito vulnera scrutantem non constituere historiam veram ? » « Ista » inquit Poemen, « cum fieri nequeant, historiam veram constituere nequeunt. Noli tamen angi. Nam historia non est magni momenti. Tantum hominis anima et præcordia magni æstimanda sunt. » « Sed, » inquam, « si narrationes sacræ historiam veram non constituunt, quænam sunt ? » « Sunt fabulæ et poiesis, et talium congeries fabularum, imaginum, symbolarum, quales cogitationes sensusque nostros figurant et excolunt. Prodigia sacræ litteris perscripta solum gravia sunt, propter eam significationem profundam, reconditam, spiritualem, quam præcordiis humanis afferunt. » « Quid significant ? » « Significant quidquid tibi significant. » « Quid, exempli causa ? » « Hem, » inquit Poemen umeros contrahens, « novam vitam, ut puto, qua nostri obliti aliis servimus. » « Quomodo, » inquam, « capio significationem scripturæ reconditam ? » « Cum magnum fidei saltum feceris, » inquit Poemen, « tum solum scriptura tibi patebit. » Hoc saltem conveniebat ei, quod puer doctus eram, necesse esse, si velimus litteras sacras intellegere, eis confidere. Sed non expectaveram eas significaturas esse, magnalia, quæ perscriberent, numquam esse facta.

Mox comperi, reconditas scripturæ significationes, quas Christiani Hyparchienses invenirent, plurimum inter se distare, quarum multæ raro sciebam unde sacrarum litterarum deductæ essent. Profecto Hyparchienses, magis præcordiis suis quam scripturæ auriti, plerumque ea, quæ desideriis et cupidinibus suis adducebantur, ut crederent, in verbo divino inventiebant, aut se invenisse dicebant. Ergo credebant multa mihi Theistiensi in aliquo genere nota, sed mirum in modum depravata. Cuius Poemen ipse exemplaris fuit. Quondam enim, dum coniuncti ambulamus, divinam memoravi bonitatem, quam confiteor me more Theistiensium vulgariori verbis exposuisse valde putidis. « Tune » inquit, miratus me aspiciens, « deum dicis bonum ? credis quod cupis. » « Quid vis ? » inquam. « Deus, » inquit, « aut bonus non est, aut bonus est quodam epitheti sensu hominibus haud intellegendo. Cum enim nesciamus, quis et quid sit deus ordinem naturæ transcendens, non intellegimus ea vocabula, quæ eum perscribunt. » « Dicisne » inquam, « deum non esse bonum ? » « Di immortales, o Peripedeme, circumspice rerum universitatem ! Vide pestilentiam

Hyparchiæ iam sœvientem ! Perpende homines tot tantisque malis ubique conflictatos. Quis, dic mihi, fecit hunc orbem tam terribilem et nobis alienum ? Concludendum tibi est, aut deum non esse bonum, aut esse bonum sensu nobis omnino ignoto. » « Sed, » inquam, « sacræ litteræ laudibus bonitatis divinæ refertæ sunt. » « Ain tandem ? » inquit. « Nonne legisti Isaiam ?

Sum deus ac dominus, vobis nec Iuppiter alter.
Fiunt e manibus lux tenebræque meis.
Omnipotens vobis pacemque malumque creavi.
Molior hæc dominus cuncta tremenda deus. »

« At isti versiculi » inquam, « non spectant ad secunda adversaque gratuita, sed ad præmia virtutis suppliciaque malitiæ. Num deus levis ac crudelis est ? » Miratus sum, me calamitatem Theistæ passum hæc urgere, qui iacturis dolens suspicatus profecto essem, deum et levem esse et crudelem. Sed aliud est suspicari levitatem et crudelitatem in deo esse, aliud dei levis et crudelis cultum statuere eumque vocare Christianum.

« Cernisne, » inquit Poemen, « rationem præmiorum et suppliciorum in orbe effectam ? Immo boni laborant. Mali florent. Quemnam perspicis in adversis disteleologicis iustitiam divinam ? Rerum universitatem, quæ nobis circumfusa est, numen sœvum, crudele, leve effecit. » « Nonne » inquam, « iudicas ea, quæ humanam iudicandi facultatem prætereunt ? Nonne expectandum nobis est, dum consiliis dei in æternitate patefactis et æquitate perfecta cognoscamus, utrum necne ærumnarum essent fines ? Et disteleologica quæ dicis adversa quomodo nosti ulla esse, priusquam tempore absoluto omnia consummentur ? Sacrarium litterarum nihiline æstimas testimonia bonitatis divinæ, necnon mandata, ut deo bono et credamus et confidamus ? » « Credant, » inquit Poemen, « qui credere possunt. Evidem credo, deum esse id mysterii terrifici, efferi, absconditissimi, quod Job calamitatibus urget. Hæc sentio. Ita persuasum mihi est. Quascunque scriptura edicat gentium antiquarum rudiumque notiones, fidelem sensibus me meis manere oportet. »

Ego, qui doctus essem, nos non quidem sensibus sed fide vivere, miratus sum, Poema animum suum sacris litteris tantopere præponere. His tamen prætermisis, conversus sum in aliud argumenti caput. « At, » inquam, « si habes deum sœvum, levem, crudelem, quomodo eum cultu tam indignum colis ? » « Propterea quod, » inquit Poemen ardescens, « deus est mihi tam necessarius, ut eo carens vivere haud possim. Ergo debeo eum colere quamlibet cultu indignum, amare quamlibet inamabilem. » Hæc inter dicta aliquid desperationis cernere videbar, sed magnum animi motum, quo hæc Poemen asseveraverat, admiratus sum. Doctus eram, deum per se cognosci non posse, necnon sœpe videri levem et crudelem. Necessus esse, dei cultores se multis submittere non intellegendis. Sed aliquid adhuc

intellegere omnino non potui, et « veniam rogo » inquam, « dixisti, cur deum colas et ames, sed adhuc non intellego, quomodo eum colere cultu indignum, amare inamabilem, possis. Quomodo anima hæc facere potest ? » « Nimis rationalis es, » inquit Poemen. « Deum cogitas tamquam philosophus naturalis lapidem contemplatur. Et tu et deus personæ estis. Noli igitur conari deum tamquam rem intellegere, sed tamquam personæ obire. Noli petere lucidam dei cognitionem, sed intimam cum deo consuetudinem. » « Quomodo ? » inquam. « Tibi dicam, » inquit. « Habe peccatum non legem violatam, sed amicum proditum ; pænitentiam non agnoscere scelus, sed dolere, te prodidisse amicum ; veniam dare non impunitum dimittere, sed amicitiam renovare ; fidem non credere quoddam præceptum verum esse, sed te alteri sacra chartitatis sponsione obligare ; vitam Christianam non regulas observare, sed placere alteri. » Hæc saltem præcepta mihi notiora fuerunt. Theistienses, quamquam agnoscabant omnia ex his definitionum paribus, tamen prius utriusque paris magis premebant membrum. Mihi tamen, qui hanc tam utilem comparationem non audiveram explicite factam, maxime adratis posterius. Nihilominus agnovi, Poemena quæstiōni meæ nondum respondisse.

In temporibus pestilentia fides Hyparchiensium Christianorum aliquam probabilitatis speciem præ se ferebat. Tot morientibus, præcipue iuvenibus, mundus a deo factus crudelis quidem absurdusque videbatur. Me tamen obiurgabat memoria eius præcepti, quod puer doctus sum, deum, qui nos ad vitam paradisiacam creavisset, peccatores in orbem calamitatum coegisse puniendos et virtute exercendos. Hæc cum satis certo haberem sacris litteris doceri, dubitabam unde Hyparchienses eam deduxissent notionem, deum levitate vel quadam sœvitie consilio soluta hominibus adversa inferre. His tamen in præsens prætermissis, more Hyparchico putabam, me dogmata, quæ puer audivisset, translati expressa verbis nondum intellexisse. Præterea, admirabar exemplum Poeménis, qui submissione et casta et utilitatis immemori constituisset amare et audire deum quamvis rationi absconditum et præcordiis offensum.

Iam Poemen ægrotantibus curandis attritus ipse ægrotabat. Cum plerique morbo affecti perirent, utrique nostrum fuit spes convalescendi admodum tenuis. Quodam vespere quæsii, an ei solatio essent preces coniunctæ. « Precari nequeo, » inquit. Putavi eum voluisse dicere, se debiliorem esse, quam ut precaretur. « Ego igitur, » inquam, « solus precabor causa tua. Haud dubie, si precatus ero, deus valetudinem restituet. » « Noli precari » inquit « nescio an deus sanare velit, nec volo eum irritare quærens quod reddere nolit. » « At sane integrum te vult qui vult, ut omnes creaturæ florent. » « Quomodo id scis ? » inquit. « Nihil pro certo novimus de deo. Tamen absurdam et

crudelem rerum universitatem contemplantibus dubitandum est, deum velle, ut floreamus. Utique certum est, deum et amare et odisse et creare et delere. Quid deus mihi velit, omnino nescio. » « At » inquam, « sacra scriptura iubet precari et deo confidere. » « Scriptura, » inquit, « quæ nihil est nisi collectanea notionum dei antiquarum, errando valde obnoxia est. Præterea novimus simillimum veri esse, me moriturum. Mihi conservando opus est miraculo. » « Ergo, » inquam, « liceat mihi miraculum petere. » « Miracula non fiunt, » inquit. « Tantum sunt signa rei alterius. » « Cuiusnam rei ? » « Qui sciam ? » inquit. « Fortasse gratiæ divinæ vel nesciocuius rei eiusdem generis. » « Liceat igitur mihi, » inquam, « ex deo petere salutem æternam. » « Aliud cura ! » inquit. « Morte torpibus non est opus salute. » « Liceat igitur, » inquam, « ut te consolari sermonibus de resurrectione. » « Mitte sermones, » inquit. « *Cum semel occidit brevis lux...* » « At, » inquam, « te audivi resurrectionem prædicantem. » « Solum tamquam signum animæ inter hanc vitam renovandæ. Sed post obitum verisimiliter nulla renovatio. » « Nonne credis, » inquam, « vitam æternam esse ? » « Quomodo id credam ? Ego, sicut fere omnes Hyparchienses, profugus Physiciæ, Christianus ita fui, ut præcepta Physiciæ numquam reprobaverim. Qua alia de causa putas, me credere, numquam esse prodigia facta, Deum incarnatum, Christum resurrectum, sed omnia hæc signa et symbolas esse ? Iam moriturus intellego, hæc signa quam inepta sint. Incarnatio, mors salutifera, resurrectio numquam factæ, nihil significant. Res, ut signum sit, debet esse facta. » « Quid vis dicere ? » inquam. « Si quid fit, » inquit, « rogamus quid significet. Si quid non fit, rogare non possumus quid significet. Si nihil fit, nihil significatur. Si nulla sunt miracula, nulla incarnatio, nulla resurrectio, nulla significatio est. Conamur invernire, aut efficere, aliquam in orbe subiectivo significationem. Id tamen, quod pertinet ad nihil obiectivum, nihil habet significationis subiectivæ. » « Liceat mihi, » inquam, « tibi aliquid legere e sacra scriptura. » « Sacra scriptura » inquit, « tantum est poiesis. Sed poiesis quoque poiesis est. Ergo poiesis est quædam sacra scriptura. Quin mihi lege ex carminibus Horatii ? Furores Iehovæ graviores sunt, quos æger ferat. Si poiesin lecturus es, malim Horatium audire. » Moribundo igitur Christiano carmina legi Epicurei. Haudquaquam improbavi Horatium, sed me sollicitavit, moriturum eius carmina præponere scripturæ. Conscientia igitur haud salva legi, et, ubi Poemen obdormivit, Horatio deposito, in genua procubui et dei benevolentia et potestati confisus precatus sum.

Dum Poemen dormit, reputabam differentias inter Christianos Hyparchienses et Theistienses. Et theologiam et pietatem incipiebant Hyparchienses a sensibus suis maxime apud se valentibus, Theistienses a sacra scriptura maximi æstimata. Fides igitur Hyparchiensium erat tam levus, pervicax, varia, peculiaris, inso-

lens, locuples quam sensus humanus ; Theistiensem tam stabilis, docilis, æquabilis, communis, sana, austera quam sacra scriptura longævo ecclesiæ consensu definita. Fidem habebant Hyparchienses saltum rationi repugnantem, Theistienses convenientem rationi fiduciam dei fiducia digni, quem existere rationi consentaneum erat credere. Mecum dubitabam cur quicquam crederemus, si magnus fidei saltus nullam cuiusquam præberet credendi causam. Necnon Hyparchienses, cum ratione uterentur ad demonstrandum, nos ratione uti non oportere, se vincere mihi videbantur. Litteras sacras putabant Hyparchienses tantillum apud hodier nos valere, ut sensibus et notionibus suis magis quam scripturæ confiderent ; Theistienses tantum valere, ut aliquid haberent levibus opponendum sensibus. Si desperare incipiebant Theistienses, auxilium e validis scripturæ præsidiis petebant ; Hyparchienses nulla propugnacula habebant fortiora ipsis sensibus fractis et demissis. Sacram scripturam Hyparchienses putabant allegoriam inanum animæ humanæ motuum ; Theistienses historiam salvificorum dei vivi factorum. Credebant Hyparchienses, deum superantem mentis humanæ captum nobis esse omnino absconditum ; Theistienses deum per se nobis ignotum, quoad nos creatorem, salvatorem, regem cognosci posse. Verba, quibus deus describitur, credebant Hyparchienses nihil significare ; Theistienses, analogice significare rebus ordinariis similia. Hinc evenit, ut Hyparchienses non pro certo haberent, quo cum numine agerent, alii diris dei terribilis suspicionibus solliciti, alii carnali dei facilis securitate sopiti ; ut Theistienses aliquatenus scirent, quis esset et qualis deus, eumque potius iustum, misericordem, fidum esse, quam iniquum, remissum, levem. Fides Theistiensis ita finita, certa, stabilis erat, ut calamitates facilius pateretur ; Hyparchiensium ita infinita, translata, fugax, ut adversis facilius solveretur. Mea sane fides dei boni, etiam existentis, sponsa imperfecta, concussa est. Sed iam suspicari inceperam, me debilem pollenti magis defecisse fidei, quam fidem debilem pollenti defecisse mihi.

Laus deo, Poemen morbo superfuit. Simul atque convaluit, ad bona opera redivit, sed ecclesiam reliquit. Ego quoque, qui Poemena mortifera laborantem ægritudine et desperantem videram, intellecti deum absurdum et gratuitæ sævum, quamvis Hyparchienses dicerent amandum, amari non posse. Deum sævientem non quidem iustitiæ causa, sed sævitæ, nec perferri posse nec coli debere. Neque esse posse consuetudinem cum deo omnino abscondito, ignoto, petulantis malitiæ suspecto. Nec quicquam significare incarnationem et resurrectionem numquam factas. Nec posse fieri, ut de multis rebus preceris, nisi credas, deum intercedere mundo et velle et posse. Neque eas litteras sacras, quæ paucissima vera contineant, pluris æstimandas esse quam carmina Horatii. Ipse quidem Poemen, sed non Poemenis fides, pestilentiam superavit. ■■

DE NOVIS LIBRIS

Axel SCHÖNBERGER, *Die Ars maior des Ælius Donatus. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung einer antiken Lateingrammatik des 4. Jahrhunderts für den fortgeschrittenen Anfängerunterricht*, Francofurti Moenani, Valentia, 2009, 422 p.

Postquam in « Bibliotheca Romanica et Latina » edita est Ælii Donati *Ars minor* (vide *Melissæ fasciculum* 148), ab auctore iure exspectanda erat eiusdem *Ars maior*. Quam ecce nobis proponit docta sua ratione, textui Latino addens, ut solet, Theodiscam translatiōnem, amplissimum commentarium, bibliographiam et anastaticam redimpressionem claræ editionis ab Henrico Keil a. 1864 exaratæ.

Magister sancti Hieronymi in hoc opere magis copiose, quam in *Arte minore*, explicat artem grammaticam necnon orationis virtutes vitiaque.

Hodiernus Latinista non sine fructu leget admonitiones, quæ ad barbarismum, solocismum aliaque orationis vitia pertinent, ac multa de his disset, nam si pleonasmos et tautologia omnibus sunt nota, plerique nesciunt se « cacenphata » aut « tapinooses » nonnumquam invitatos facere, sicut ille dominus Jourdain, qui in comoedia *Le bourgeois gentilhomme*, auctore Molière, « prosam ex amplius quadraginta annis inscius faciebat ». Etiam iuvabit figuræ et tropos legere, quorum longo indice concluditur Donati opus grammaticum.

ISBN 978-3-936132-32-8

W. SMITH, C. COLAHAN, *Spanish humanism on the verge of the picaresque : Juan Maldonado's Ludus chartarum, Pastor bonus and Bacchanalia*, edited with introduction, translation and notes, Supplementa Humanistica Lovaniensia XXIV, Lovanii, Leuven University Press, 2009, 291 p.

Ioannes Maldonatus sive Juan Maldonado (c. 1485-1554), Hispanus humanista, Salmanticæ in studiorum universitate est eruditus, vixit autem Burgi (v. *Burgos*) in Castilia. Post studia litterarum iurisque canonici sacerdos factus, examinator dioecesanus creatus est in urbe Burgo ubi per multos annos docuit litteras, præceptor fuit nobilium adulescentium, ecclesiam cathedralem administravit et multa opera Latine conscripsit, inter quæ memorari possunt *Somnium*, *Praxis sive de lectione Erasmi* (quocum etiam commercium habuit epistulare), *Parænesis ad politiores litteras*, *Hispaniola* (hæc est saturæ de moribus illius temporis), *Vitæ sanctorum*, *De motu Hispaniæ* (in quo narratur Hispanorum seditio in Carolum Quintum, a. 1520), *Pastor bonus*, *De felicitate christiana*, *Ludus chartarum triumphus*, *Bacchanalia*, *De senectute christiana*.

Iosephus TUSIANI, *Fragmenta ad Æmilium*, Galatina, Congedo editore, 2009, 51 p.

« Siquidem fragmentis istis, quæ humiliter nuncupas, quam multa attigisti, versibus eis paucis quam magna es complexus, quæ diu meditaremur legentes, ut in aures sensim animosque permanarent ! Accedit huc quod reiecisti ampullas, ad quas multi configere solent poetæ, resecuisti cincinnos luxuriantes ; qua in re mihi interdum similis esse videbaris vilico nescio cui, qui vergente ad finem anno in tabulas refert expensas et redditus, rationes subducit, siquid lucelli annus elapsus attulerit anxius ». Hæc Theodericus Sacré in libelli præfatione. Et verum est hæc brevia carmina animum simpliciter tangere, plena ut sunt cogitatione fugaque temporis. Eis addita est Æmilii Bandiera, poetæ amici, Italica translatio. Sufficiat hæc pauca proponere, tamquam exempla (p. 24) :

*Semper tristis ego sum quando tristius ad me
Autumnale venit tempus : cur nescio, sed me
Terrificant folia in terram labentia, pruni
Tam virides quondam et tam siccae bodie et tam nudæ,
Et me terrificant imæ nubes super omne
Litus lugentes a solis lumine longe.*

ISBN 978-8-880868-56-9

E quibus operibus tria hic proponuntur una cum translatione Anglicâ, historicis explicationibus et adnotationibus criticis.

Ludum chartarum qui legit, statim de colloquiis Vivis et Erasmi cogitat, qui de ludis eorumque legibus etiam tractaverunt. Consuetudo chartis ludendi sæculo sexto decimo nondum erat tam inveterata, tamen permultis iam acceptissima. Magna erat ludorum varietas ; « triumphus » est nomen unius ex eis. Talia autem describere est res ardua ; quod in ipso colloquio fatentur collusores (p. 28-30) :

ROSARIUS : Promulgentur leges ludi, vel potius recitentur a maioribus latæ, quas si quis contempserit, depositum perdat.

MALDONATUS : Si iubetis, feram ego leges præter com-

munes, nostro instituto congruas ac decentes.

FERRANUS : *Iubemus, ut pro his etiam confirmem.*

MALDONATUS : *Prima igitur lex in hoc ludo sanciatum, ut omnes Latine loquamur neque cuiquam liceat voculam emittere non Latinam minusque aptam. Qui secus fecerit, censuræ subiaceat.*

ROSARIUS : *Optima lex hæc est et nobis percommoda. Hac lege bene collocabitur ludo tempus impensum.*

PADRONUS : *Incidendam ære censeo banc legem. Nam etsi difficillimum erit nobis ludentibus eam omnino servare, metus tamen ipse suggeret voculas si non penitus aptas, certe Latinas. Sunt mibi Vivis Exercitationes, in quibus lusit ille etiam chartis non infeliciter; plurimum me iuvabunt, si non a memoria fuero penitus destitutus.*

MALDONATUS : *Conatus est Vives Latine reddere nonnullas voces eorum qui ludis chartarum indulgent. Erasmus etiam fuit in ludis quibusdam ingeniosus et perspicax; multa tamen, quæ ludi chartarum exposcunt, reliquerunt intacta; multarum vocum non meminerunt, sine quibus apud nos ludi sunt eiusmodi manci vel potius nulli. Uttere tu quidem vocibus et figuris dicendi Vivis quæ tibi succurrerint; ni tamen habueris paratam ex multa lectione usu continuo copiam, passim tibi propria verba rebusque apta deficient. Confertissimo penu opus est illi, qui non sit hæsitaturus in ludo circa proprietatem et elegantiam; assuescamus tamen et nihil erit difficile.*

Pastor bonus (cuius severa imago vobis commendatur, *op. cit.* p. 103) monitiones præbet de ecclesia necessario reformanda. In tota Europa tum temporis hæc erat canonicorum, abbatum aliorumque ratio, ut magis curare viderentur potentiam et voluntatem quam animalium salutem. Auctores huius editionis *Pastori bono* longam et doctam introductionem præposuerunt, qua peculiares Hispaniæ condiciones explicantur.

Hoc autem excerptum vobis propono legendum (p. 110) :

Puer ego sum aliquando frugalissimos ac diligentissimos inter pastores animi causa versatus et animadverti primores eorum, quorum erant oves propriæ, circuire frequenter peculum, tabentes ac morbidas denotare, pro tempore mederi aut segregare; tum mercenariorum negligentiam coarguere, castigare, rationem languentium subducere, pelles reposcere; et si quam viderant tardius subsequentem, pedites ipsi adiutare, nonnumquam asini tergo imponere et quovis modo ad caulam perducere. Si sunt ad hunc Lydium lapidem episcopi prorsus explorandi, ut vere sunt ex præscripto Christi, nescio qua dormitione, quo tenentur lethargo præsules quamplurimi, ut iudicium vel supremum Dei non vereantur, in quo dis-

tricte subducetur ratio bene gestarum functionum, ac secus, præsertim earum, quæ curam magis respiciunt animalium quam corporum.

Tertium opus exhibitum in libro supradicto est *Geniale iudicium sive Bacchanalia*. In scænam hæ inducuntur personæ : Accensus minister, Ingluvies et Continentia invicem se accusantes, Tempus iudex, Pædor et Pudor testes. Duæ mulieres, Ingluvies et Continentia, medio in foro tamquam furiæ inter se pugnaverunt magnamque cladem fecerunt; suam quæque causam defendit coram iudice. Res est lepida, vivida, iocis plena, nonnumquam subobscena; textus simul redolet mediævalia carnelevaria, Erasmi Moriae Encomium et Rabelæsi librum de *Gargantua*. Ut eius sales gustemus, partim legamus Pædoris testis depositionem (p. 264-268) :

TEMPUS : *Nosti Continentiam?*

PÆDOR : *Novi quidem de facie aliorumque commemoratione; apud eam numquam sum diversatus nec in colloquium veni, quod eius studia mibi displicant etieiunia deterrent.*

TEMPUS : *Aderas bodie prope, cum est prælium commissum?*

PÆDOR : *Aderam et omnia diligenter sum contemplatus.*

TEMPUS : *Quæ prior invasit alteram?*

PÆDOR : *In vasa pronior erat Ingluvies.*

TEMPUS : *Mitte nunc vasa; quæ prior incurrit in alteram? Dic tandem.*

PÆDOR : *Curru non vehitur Ingluvies, et Continentia nibilominus pedibus incedebat.*

TEMPUS : *Parum percipis tu Latinam grammaticam.*

Verba communia passimque obvia non intelligis?

PÆDOR : *Grammaticam aliquando didici neque culinariam artem Latine quisquam explicabat proprius nec elegans. Vina tamen suffocant ingenium memoriamque perturbant.*

TEMPUS : *Dic tandem quæ prior adorta.*

PÆDOR : *Pares videbantur ætate neque divinaverim facile quæ sit annosior.*

TEMPUS : *Aut ignorantia teneris Romani sermonis profundissima, aut tergiversaris quæ scire dissimiles.*

PÆDOR : *Remove nunc compositiones ac præpositiones, quas neque valui discere neque libet meminisse, quoniam odi maxime ex eo tempore, quo me severe cædebat Didascalus, earum nomina et usum requirens; atque grammatici transfugam appellarunt, quod ex eorum arte transfigerim ad popinariam et artocreatriam; quod utiliam fecisset maturius!*

In hoc fasciculo !

Ante decem circiter milia annorum... [G. Licoppel] p. I

In horto verborum ambulatiuncula [F. Deraedt] p. 3

Quædam de Alberti von Haller (1708-1777) vita et scriptis [V. Ciarrocchi] p. 6

De Oetsio sive Sigfrido [A. Van Dievoet] p. 8

De Romano imperio orientali (IV) [G. Licoppel] p. 9

Peripedemi periegesis (V) [B. Walton] p. II

Bibliotheca Latina p. 15

Imago tegumenti : Gerardus Ioannes Vossius (1577-1649)

DE PRIMO CENSV LATINO VNIVERSALI ANNO MMIX INSTITVTO

Huius anni mense Iulio primus Census Latinus omnium hominum quavis e gente oriundorum haberi cœpit. Census ab Universitatis studiorum Vasintoniæ Occidentalis (WWU) professoribus institutus est, auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ (ALF) sodalium, duobus præsertim propositis:

¶ Ut homines, qui nostra ætate sermone Latino utuntur, adnumerentur;

¶ Quo melius Latini sermonis usus atque condicione, quæ nostra ætate sunt, intelligantur.

Huius census indicis decursu annorum descriptis, rite ordinatis, inter se comparatis demonstrari poterit utrum sermonis usus increbescat necne, quibus in orbis terrarum regionibus sermo Latinus maxime usurpetur, qui libri ad eius studium sæpius adhibeantur et alia.

Hæ quæstiones studium excitant non tantum eorum, qui in linguam Romanam incumbunt, verum etiam eorum qui generatim et universe litterarum atque linguarum et complurium ceterarum disciplinarum, quæ ad artes liberales pertinent, sunt studiosi. Ad has quæstiones demum perquirendas atque investigandas, Census Latinus diu desiderabatur.

Hæc cum ita sint, Census Latinus alternis annis ab eisdem professoribus insituetur, et indicia in eo collecta in publicum edentur. Ab illis, qui respondere velint, nihil poscetur, quod ad vitam privatam pertineat. Talia enim nullo iure in Rete Universali exhibentur.

Censui si quis nomen dare velit, quod ad summum V minuta requiret, accedit oportet ad paginam quæ inscribitur

<http://census.academialatina.org/>

Census Latinus haberi cœpit mense Iulio et finiet ultimo huius anni die mensis videlicet Decembris.

Eduardus Engelsing

Universitatis studiorum Vasintoniæ Occidentalis (WWU)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

